

ANSPRACHE VON DR. PRINZ IM RATHAUS ZU MÜNSTER  
BEIM EMPFANG ZU EHREN SEINER EMINENZ  
KARDINALS AGAGIANIAN AM 28. 6. 1961

Eminentissime Domine!

Historiae huius civitatis Monasteriensis culmen fuit dies ille nonus ante Kalendas Novembres anno domini millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo, quo hinc post bellum crudelissimum triginta annorum toto orbi pax insonuit.

Quam pacem cives Monasterienses titulo portae huius aulae inscripto salutaverunt: „Pax optima rerum“. Non pensabant gravem cladem domini Ferdinandi tertii imperatoris sacri Romani imperii et victoriam gloriosam, qua eminentissimus dominus cardinalis Richelieu regi suo christianissimo Galliarum prudentia sua tunc potitus erat.

Multo magis, ut pax esset christiana universalis postulabant veraque et sincera amicitia inter omnes mundi populos perpetua, ut habetur in praemambula Pacificationis Westfalicae.

Sic et nos hodie vilipendimus Pacificationis istius Westfalicae paragraphos singulares quamvis patribus nostris graviter ferendas, sed majoris momenti esse judicamus, ut exemplum afferam, foederationem statuum ordinumque germanicorum per pacificationem Westfalicam roboratam, a philosophis et auctoribus juris publici gallicis et anglicis septimi decimi vel octavi decimi saeculi in his abbas St. Pierre, William Penn, praecipue autem Jean Jacques Rousseau, exemplar societatis foederatae pacis universalis aestimatum esse, quo proposita operaque nostri aevi unionis totius Europae occidentalis anticipata ducimus.

Hac in aula domus civium usque in hodiernum diem imaginēs invisi possunt illustrissimorum et doctissimorum virorum oratorumque pacis, qui hic per triennium continue pacem universalem tractaverunt.

Inter quos praecellunt reverendissimus et praeclarissimus dominus, dominus Fabius Chigi, sanctissimi in Christo patris ac domini Innocentii papae decimi legatus a latere et nuncius per Germaniam, necnon et illustrissimus et excellentissimus vir, dominus Aloisius Contarenii, legatus plenipotentiarius senatorque Venetus, quorum effigies insequentes post imagines imperatoris Ferdinandi tertii, regis Hispaniarum Philippi quarti et regis Galliarum Ludovici quartidecimi adhuc parvuli locos tenent. Hi mediatores fuere pacis, quibus quot diversa postulabant tot diversi legati et proponebant, ad formam generalem et definitivam redigere onus propemodum inefficabile injunctum fuit.

Eodem anno millesimo sexcentesimo quadragesimo octavo Idibus Maji hac in aula, ob hoc postea condicta „Aula pacis“, plenipotentiarii foederati Belgii necnon et regis Hispaniarum pacem jurejurando confirmavereunt, qua bellum per octoginta annos a Batavis pro libertate obtinenda gestum, ab ipsis gloriose finitum fuit.

Civibus Monasteriensibus haec aula desuper semper fuit sinus urbis, in quo per septem vel octo saecula consules huius civitatis duobus magistris burgensem ducibus de salute publica deliberaverunt.

Fastigium sive frons huius curiae ac domus civium per totum occidentem praeclarissimum styli gothici exemplar profani, nobile sublati animi civilis symbolum est.

Vidit haec curia et prosperitatem oeconomicam medii aevi vigente foedere hanseatico, cum mercatores huius mercatus cum mercimonis suis in altum provehebantur usque ad libera oceani finesque terrarum. Vidit et hereticam pravitatem anabaptistarum sartore Johanne Bokelson ab Leiden rege circa annum millesimum quingentesimum tricesimum quartum, qua religio christiana extirpata et salus communis pene ad nihilum redacta fuit.

Sculpturarum totiusve huius aulae apparatus opulentia significat et abundantiam superfluam huius civitatis sesquimillesimo aureoque saeculo et per symbola sua christiana fidem catholicam superata anabaptistica superstitione recuperatam.

Haec denique aula per pyrobola belli universalis ultimi tota cum curia omniq[ue] fere civitate destructa anno jubilaeo Pacificationis Westfalicae trecentesimo, id est anno domini millesimo nongentesimo quadragesimo octavo toto apparatu antea in tuto collecto reaedificari et in formam pristinam redigi potuit laboribus fere omnium burgensem voluntariis et sumptibus, multorumque amicorum undique terrarum adjuvamine assumpto, quibus sicut patribus nostris ante trecentos annos similiter haec aula symbolum est desiderii pacis obtinendae universalis.